

Universitätsbibliothek Paderborn

Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S. tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

December.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52716

III. Decembris. S. Francisci Xav. 675

DECEMBER.

Festum S. Francisci Xaverii ex
Societate Jesu Apostoli Indianorum
zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

Vivere totum S. Xaverii erat promovere Dei honorem, & gloriam.
Ideò nulla ei requies, otium nullum.
Quis finis nostrævitæ, ò dilecte fili! si non
Deus? Heu! damnabilis est! Unus Deus
quæratur. Etenim ad imaginem Dei facta
anima rationalis; cæteris omnibus occupari potest, repleri non potest. S. Bern.

Instructio meritoria.

Erravimus dilecte! non Deum, sed nosipsos non rarò pro fine habuimus.

Satisfacturi pro flore, & incremento inclytæ Societatis Jesu Psalmum: Deus judicium tuum regi da &c. cum oratione de Festo recitemus. Dabit, & impetrabit D. Xaverius, ut in suis indies zelosiùs glo-

rificetur Deus.

A Deò S. Xaverius sitiebat labores, curas, & sollicitudines pro lucro ani-Ff 2 ma-

ite

lue

eris

ım

ia.

n!

m-

jus

en-

do

70-

ri:

ma

nus 1a-

ris,

um

676 III. Decembris. S. Francisci Xav.

marum subeundas, ut tempore consolationis exclamaret: Satis est: in angustiis verò, & laboribus: Amplius Domine! Amplius! Quid ad hæc nostra in proximum charitas? Si talis non est, qualis S. Xaverii, modica, aut nulla est. Et tamen gaudemus nomine fratris Christi. Dilecte mi! capiamus magni Xaverii doctrinam. Divinum aliquid est, ait, posse aliis prodesse. Quot ad frugem perditos reducis, tot lethales pepulisti morbos, imototidem ad vita mortuos resuscitasti. Quanti hanc in corporibus artem faceret medicus, quam in animos tibi concessit Deus! Instructio meritoria.

Versus quatuor mundi partes flectamus, & ut ibi omnes Missionarii, ac viri
Apostolici magna, & grandia præstent
verbô & exemplô in conversione gentium, ad quamlibet orbis plagam quinque Pater & Are oremus cum suspirio:
O Beata Trinitas! da nobis animas! da

& in fide constantiam.

III.

E Cce! vinctum in Domino! Ecce Xaverium Martyrem in desideriis genero-

III. Decembris. S. Francisci Xav. 677 la nerosissimum! Pro Christo in regno Synarum mori exoptat. Et dum gladio umorinonlicuit, mortuus est amore, & 72desiderio. O chare! profecto sic perdein 12relucrum est, ubi vita hæc mortalis pro Ec Deo ponitur; non est mors dicenda, sed ti. vitæ melioris commutatio questuosissima; nam brevisæternå, misera commu-0-Je tatur felicissimâ. Quæ præplacet? Co Instructio meritoria. 00 Pro Deo, & animarum lucrô audeana mus multa, & magna! Possumus, dum Et quid seriò velle, & fervidè volumus. 5! laborare impedit? Nonnelanguor, tepiditas, vanus, stultúsque timor? Citò exacutiamus, & post missam pro extirpatioiri nehæresum, pro concordia Christianont rum Principum, pro exaltatione Roma-17= næ Ecclesiæ, & Fidei Catholicæ quotidie or en nrecitemus septem Pater & Ave cum de-0 : siderio D. Xaverii: O Deus! Ego amo da te, nec amo te, ut salves me &c. a e-Fe-Ff 3 0678 IV. Decembris. S. Barbaræ.

Festum S. Barbaræ Virginis & Martyris constantissimæ, morientium Patronæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! nondum contemnimus mundum, nondum & hominem mala suadentem nobis? Audi, quid heroina S. Barbara Genitori suo ad nuptias cogenti: Non committam Pater, ait, ut mortalem sponsum cælesti ac divino anteponam. Præstat obedire Deo, quam parenti proprio. Dicamus jam strenuè cum S. Paulo: Omnia detrimentum seci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.

Instructio meritoria.

O deplorandam infidelitatem nofiram! Dimittimus non rarò Divinum
obsequium, ut obsequamur homini in
rebus etiam pessimis. Quis hic perversus agendi, & amandi modus? Ut respectum triumphemus humanum, &
solum Deum in vita nostra circumseramus, propter hominem nullum spirituale exercitium intermittamus, potius ser-

vorem

vorem augeamus per recollectionem animi, repetità sapius B. Climaci protestatione: Melius est contristari parentes, aliosque homines, quam contristari Deum. Datò imposterum pro studiis, aut orationibus signò statim relinquamus conversationem, & ad cellam, vel Sanctissimum pergamus recitaturi tria Pater & Are cum Te Deum Laudamus. Tres sunt in cœlo! & hi tres unum sunt. Adoretur in Trinitate Unitas, & in unitate Beata Trinitas!

II

Dilaniatur tenera Virgo crudelibûs tormentîs, tamen clamat: Quis me separabit à Charitate Jesu? Dilecte! sortè quærit ex me cum S. Thoma Villanovano: Quis autem secit Martyres diras, es acerrimas subire pænas? Dico liberè: Viva sides. An non hæc desest nobis? Urget charitas, ut patiamur. Et ecce! jam sugimus. O sili! verè in nobis patitur Christus opprobrium, in nobis Christiana lex patitur detrimentum! Salvianus.

Ff 4

In-

n-

ala

na

0

ut

m uè

m

0-

min

er-

e-

8

a-

12-

er-

m

Instructio meritoria.

Ut reviviscat, & de novo in nostris fides ardeat pectoribus, ter coram San-Ctissimo Venerabili flectamus, & comitante sancta Barbara oculis penitus clausîs illud adoremus, semper quindecim Pater, & Ave recitantes cum uno Credo. Claudamus sensus, & vivet sides nostra. Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

III.

Quantum nos angit, & torquet memoria mortis! Fili, noli timere! Patronam bonam, & potentem nobis Deus dedit in S. Barbara. Hanc colamus, hanc diligamus: Et fiet, ut in Virgineis S. Barbaræ moriamur brachiis. Expecta quotidie sinem vita, monet S. Ephrem, & ad illud iter te prapara. Sanctis quatuordecim Auxiliatoribus, quos inter & S. Barbara, diem Mercurii dedicemus, & si advenerit, unum speciale, & supererogatorium recitemus Rosarium. Volunt juvare boni cœlites: Sed si anteà invocati.

Festum

VI. Decembris. S. Nicolai Ep.

Festum S. Nicolai Episcopi, Patroni Pauperum, & egenorum providentissimi!

EXHORTATIUNCULA I.

Harissime! Novimusne S. Nicolaum? Dubito; quia Patri cœlesti tam rarò gratias agimus pro beneficiis tum naturæ, tum infinitæ suæ Providentiæ. Deus est, qui dat escam esurientibus: Et non agnoscitur? Deus dat omnibus affluenter: Et quis clamat: Quid retribuam Domino. Profectò mi fili! nec pro his omnibus, quod rependamus, habemus, nisi tantum, ut diligamus. S. Bern.

Instructio meritoria.

Post quamlibet refectionem hodie pergamus ad Ecclesiam, & sub adoratione Sanctissimi Altaris Sacramenti compensemus data desursum pro sustentatione corporis munera, recitantes quindecim Pater & Ave cum uno psalmo ex pænitentialibus. Clausula sic affectus admirationis: O facrum Convivium! in quo Christus sumitur, recoli-Ff s

fi-

n-

ni-

U. im

·e-

les

&

et

0-0-

in

is. S.

a.

18,

11

2-

US

S:

n

682 VI. Decembris. S. Nicolai Episc.

tur memoria Passionis ejus; mens impletur gratia, & sutura gloria nobis pignus datur. Ecclesia.

II.

Quid hoc? communibûs gratis contenti esse non volumus? Semper ad prodigia, ad miracula attendimus. Si non videamus, non credimus, non ferventer Deo servimus, liberè peccamus. O pretiosum gratiæ momentum! Semen modicum est, sed magnus inde fructus: In hoc momentaneo latet aternitas. S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Deprecemur ingratitudinem nostram, in cujus satisfactionem preces
mensales clausis oculis persolvamus
subjungentes in ecclesia, vel cellà psalmum devotissimum: Benedic anima
mea Domino, & omnia, qua intra me
sunt, Nomini sancto ejus. Quod dat
Deus, commune non est. Omne datum desursum optimum.

III.

Quorum est regnum cœlorum? 0 Fili! nunquid parvulorum, & simplicivi. Decembris. S. Nicolai Episc. 683
plicium? Sic Christus: Sinite parvulos
penire ad me. Non curemus, neque
contristemur cum S. Nicolao, si despiciamur à mundo, & homine. Sit satis,
quòd placeamus cœlo, & Deo. Si nos
hominum opinio movet, maturè abstineamus ab omni opere. Quidquid enim
agamus, vel omittamus, perinde est, experiemur criticos. Quid fatigamur?
Agamus, quod agi vult Deus. Despici
meretur à Deo, qui in hujus causa hominem respicit.

Instructio meritoria.

Taceamus ad irrifiones, vexationes, & linguæ alienæ irritationes. Dicamus: Amplius Domine! amplius. Tibi laus, honor, & gloria. Pro ipsis verò irrisoribus, & exactoribus nostris recitemus datà opportuniori occasione S. Rosarium Dolorosum, cuilibet Pater noster addendò verba S. Stephani: Domine! ne statuas illis hoc peccatum. Deus mala immittit, quòd multa neglexerimus bona: aquum est, ut qui benesicus non intelligitur, plagis intelligatur. S. Cyprianus.

Ff 6

Festum

lea

)n-

ner

US.

on

ca-

n!

ade

290

100

ces

lus

al-

na

me

dat

da"

0

m-

ici-

684 VII. Decembris. S. Ambrosii.

Festum S. Ambrosii Magni Ecclesia Doctoris.

EXHORTATIUNCULA I.

Simus discipuli tanti Doctoris! Fuit ita potens verbo, & exemplo, ut errantem Augustinum reduxerit ad ovile Jesu Christi. Gratulemur oviculæ! gratulemur & bono Pastori. Nihil Deo gloriosius, nihil gratius Christo, quam conversio animarum. Pro his sanguinem dedit, quem sanè in labantis orbis sirmamentum denegasset. O si zelus domús Dei & animarum commederet nos! Domine! da nobis animas. Alioquin morimur!

Instructio meritoria.

Ut plures ejusmodi in ecclesia quotidie animarum piscatores, & exemplares
Doctores prodeant ad insigne ovilis
Christi augmentum, officium de Spiritu
sancto recitemus. Clamemus, ut videamus. Illum amemus, quem amare debitum est! illum exosculemur, quem
osculari sanctitas est. Paulinus.

II.Con-

II.

C-

uic

er.

ile

a-

09

m

11-

ois

48

et o-

ti-

es

lis

tu

a-

e=

m

n-

Contristamur non rarò propter ne gotia, aut officia nostra. Unde? quia plus hominem attendimus, quàm Deum. S. Ambrosius etiam Imperatoris functus est munere: sed nunquam divisus in suo corde. Faciliùs operamur cum Deo, quàm sine eo. Cur ergo toti ad extra esfundimur? Fili mi! nolo ipsum otiosum! Nolo & suorum rerum incurium! Sed primas Deo curas, & anima dandas suadeo. Non deerit, mihi credat, quin primum quarenti regnum Dei fausta eveniant omnia. Probatum est!

Instructio meritoria.

Omnes functiones totius diei exactè exequi, & mentem tamen cœlo tenere affixam satagamus. Ut siat, statim à manè pactum ineamus cum Deo, & sensibûs nostrîs, pro quorum custodia expansîs brachiîs duodecim Pater, & Ave coram Sanctissimo Venerabili præmittat. Non operari, sed operari bene, & attente, sanctissicat.

Ff 7

III. Pro-

III.

Roximus jam morti S. Ambrofius ait ad suos: Non ita inter vos vixi, ut pudeat me vivere; nec timeo mori; quoniam Dominum bonum habemus. Fili! & denobis auderemus dicere talia? Estne & noster vivendi modus sic probatus Deo? Optamus. Ergo & mores, & sensus reformemus. Sed quomodo! per quotidianam præparationem pro mortis horâ. Beatus, qui semper mortem expectat impavidus! qui ad proximæ mortis nuntium non immutat colorem! Advenience vespere gauder operarius. Qui dolenda non egit in vita, nunquam mori timebit. Timeant Athei! gaudeant innocentes Christiani!

Instructio meritoria.

In hac doctrina ut strenuè nos exerceamus, sempérque armati pro lucta ultima vivamus, hodie, & imposterum singulis saltem mensibûs semel pro nobis ipsis commendationem anima coramSanchissimo, vel devotô Crucifixô magno cum servore præmittamus. In fine addatur psalmus: Paratum cor meum, Deus!

VIII. Decemb. B. V. M. sine labe conceptæ. 687

Deus! paratum cor meum. Tristem expectet mortem, qui vitam egit immemorem æternitatis.

Solemnitas ter Benedictæ Virginis Mariæ sine Labe, & macula Conceptæ.

EXHORTATIUNCULA I.

D'um de peccatis agitur, nullam volumus Mariæ haberi mentionem, affirmat S. Augustinus. Maria ergo Mater sine omni macula? Sic credimus. Nos quales filii? O si digni Immaculata! Erimus dilecte! si quæ pura, munda, & casta sunt, prodiderunt verba, cogitationes, & opera.

Instructio meritoria.

Dignos proin reddamus nos! præsentem octavam speciali modestia, & gravitate morum transigendô, & quotidie tres actus reslexos illarum virtutum exercendô, & exercitos Venerabili Patri spirituali in confessione proxima extradendo. Sic jubet Maria! sic & exigit angelica modestia. Ne in hac desiciamus, Cursum Ma-

ius

xi,

us.

ia!

0-

es,

0!

ro

)r-

Xi-

0-

le-

nei!

C-

Ci-

n-

115

11-

10

d.

n.

5!

688 VIII. Decemb. B. V. M. sine labe concepta.

Marianum offeramus Intemerata. Modicum quid ad Tantam!

II.

Interrogat S. Birgitta Beatissimam cœlorum Reginam, ut diceret: quis modus suæ Conceptionis? Et ecce! respondit parens Benedicta: Concepta sumex Joachim, & Anna sine originali peccato. Gratulemur parentibus! gratulemur & siliæ! gratulemur & toti SS. Consanguinitati. Nobilitas, & gloria genuina non à carne & sanguine formatur, sed à vitæ & morum integritate. Quacunque polleamus virtute, si careamus puritate, si-clas numeramus.

Instructio meritoria.

Pro hac supplicemus Sanctissimam Consanguinitatem Jesu, Mariæ & Josephi, & in eorum venerationem Lytanias de omnibus Sanctis illius SS. Consanguinitatis ex Legibus Marianis persolvamus. Magna & pretiosa virtus est puritas, & innocentia vitæ! indiget multô, & magnô præsidiô.

III. Di-

VIII. Decemb. B. V. M. sine labe conceptæ. 689

tæ.

0-

r.

0-

n-

X

0.

i.

n

n

Dilecte! diligitne Mariam? Non dubito. At non verbîs, sed opere probatur amor. Probabit, si studeat semper esse, & vivere cultor perpetuus, & zelosus Promotor Immaculatæ Conceptionis. Quid melius deceat Mariæ filium, nescio. Exclamo jam admirabundus cum Venerabili Guerico: Prorsus nova Mater Maria, qua novitatem attulit inveteratis filiis, vitiumque sanavit tam ingenitæ, quam superadditæ vetustatis.

Instructio meritoria.

In venerationem Mysterii adeò stupendi dicamus decem Pater & Ave pro
memoria decem Virtutum, in quibus
se strenuè exercuit Intemerata Virgo.
I. Charitatis erga Deum, & proximum.
II Humilitatis. III Gratitudinis. IV. Misericordiæ. V. Pietatis. VI. Mortificationis. VII. Obedientiæ. VIII. Orationis.
IX. Patientiæ. X. Constantiæ. Post hodiernam S. Communionem formulam
recitemus Votivam: & quoties audierimus Nomen Virginis Mariæ, venerabundi

590 XIII. Decembris. S. Luciæ.

di capita inclinemus cum dicto mentali: Salve! laudetur millies!

Festum S. Luciæ Virginis & Martyris.

EXHORTATIUNCULA I.

Deum rogat, ne subitò interficeretur inter tormenta. Placuit cœlo sancsum
votum, & conservata est in lucrum animarum. Nutant, & periclitantur adhuc
innumeræ animæ. Quid hîc charitas, &
benevolentia nostra? In auxiliis terreri
non debet. Compedes corpori injici,
non animo possunt; liberum hunc voluit Deus, ut arbitrio suo dextram eligat,
vel sinistram, proximum deserat, & amorem sui præponat. Cum Maria nos partem eligamus optimam.

Instructio meritoria.

lium, paganorum, Judæorum, & hæreticorum, præsertim illorum, quibus lumen sidei adhue illuxerat nunquam, recitemus officium cum Lytaniis de Spiritu Sancto. Si boni & pii nil agunt pro
lucro

ali:

cia,

re.

ım

ni-

uc

&

eri

Ci,

0-

at,

0=

Ir.

e-

·C-

Ua

e-

110

ro

ro

lucro animarum, sanguis Christi peribit in multis. Multi enim vocati, sed pauci electi. Et hos paucos in side, & charitate sirmet Christiana pietas.

II.

Magna tentemus.

Aluit S. Lucia torqueri gravissime, modò permitteretur longiùs vivere pro salute unius animæ pretiosæ.

Tanti faciunt animasSancti! Non mirum!

Dedit & pro harum pretio Pater æternus sum Unigenitum. Fili! erimúsne nos tam ignavi ut nec propriam, nec aliorum æstimemus, & æstimandô pro omnimodà justitià, & sanctitate etiam grandia, & heroica audeamus opera? Abjecti animi ad omnem dissicultatem trepidant. Virum exuat, qui ad primum sancti laboris conspectum semineum degener sugit in pavorem. Magno servimus! Magna tentemus.

Instructio meritoria.

Probemus hodie zelum, probemus & amorem! Igitur ut omnes sancti & sancti & sancti & sanctissancti fuccurrant jamjam de salute periclitantibus, coram Sanctissimo Venerabili dicamus Lytanias de omnibus Sanctis.

692 XIII. Decembris. S. Luciæ.

Quàm doctrinaliter Paulus: Pro invicem solicita sunt membra, & si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra; vos autem estis corpus Christi, & membra de membro.

III.

A! quid video? Lucia Virgo ad lupanar rapitur. Quid oviculæ innocentissimæ inter lupos? At ô fili! non timeamus! Deus stetit pro innocentia;
quia castam nec manus violenta à loco
potuit dimovere. O quis cordis Virginitatem, & innocentiam non custodiat?
Hanc qui dimissit, amissit Deum, amissit
omnia. Polleat homo quacunque virtute! si careat castimonià, sistas virtutes numerat.

Instructio meritoria.

Ut intercessione S. Luciæ multiplicentur casta in mundo, & SS. Religionibus pectora, Lytanias de Beatissima Virgine Maria persolvamus dicendo: Ora proess. Addendô in fine septem Pater &

Ave in honorem septem Festorum Maria. Qui elucidant me, vitam habebunt aternam.

oro,

ıvi-

pa-

tur

um

ora;

m.

lu-

10.

CI-

ia;

co

gi-

111

fic

ir-

U-

11-

US

ne

10

19

pe

Festum Expectationis Beatissimæ Virginis Mariæ.

EXHORTATIUNCULA I.

Rypectat Maria Redemptionem noftram. O quali cum gaudio! quantà modestià, & puritate! Chare fili! nunquid & nos expectamus, ut in cor nostrum veniat oriens ex alto Christus Jesus cum omnibus suis donis, & gratiis?
Præparetur itaque cor, & illis exornetur
virtutibus, quibus excoluit Maria, & videbimus gloriam Domini intra nos.
Animi, & corporis mundities oculos
mentis acuit ad videndum Deum. S.
Xav.

Instructio meritoria.

Speciali affectu, & devotionis sensu gratulemur Mariæ ad instans Nativitatis Dominicæ gaudium; quod, ut usque ad ipsum sestum debitè præveniamus, quotidie recitemus novem Pater, & Ave, & si sieri potest, etiam novies Magnificat in

in honorem novem mensium, quibûs Jesum portavit sub immaculato, ac vir. gineo utero. Unde sordes in domo, in qua nullus habitator terra accessit, solus ad eam ejus fabricator, & Dominus venit. S. August.

Uid sibi Festum Expectationis? Ut agnoscamus Redemptionis nostrabenesicium, & grande in Maria admiremur Maternitatis Mysterium. Pro primo gratias agamus SSS. Trinitati: Pro secundo collætemur Maria. Hinc Maria essecta est sabbatum nostrum, quò requiescimus; Solis dies, quò illustramur; Lunæ, quà benignère sicimur; Martis, quò & certamus, & vincimus; Mercurii, quò sapimus; Jovis, quò lætamur; Veneris, quò castè amare didicimus. Ita Salazar.

Instructio meritoria.

Utrumque ut devote, & dignè recolamus, ad signa Salutationis Angelica, ubi ubi fuerimus, humiliter slectamus, & manibûs erectis veneremur contenta in salutatione Redemptionis SacramenXVIII. Decemb. Expectationis B. V.M. 695

ta. (Pro veneratione septem gaudiorum Beatissimæ Virginis Coronam hodie Marianam cum mysteriis gaudiosis persolvamus.) Hoc Mariæ privilegium est, quòd, quidquid post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid jucundius in gloria est, hoc Maria, hoc in Maria, hoc per Mariam est. S. Bonaventura.

III.

Quod quondam Isaias, id nobis quasi innuit his diebus Maria: Confortamini, & nolite timere! Ecce
Dominus noster veniet, cum virtute, &
illuminabit oculos servorum suorum.
O felicia tempora! his sancta respondeat
vita!

Instructio meritoria.

Sed quomodo? Manè dum surgimus, à vespere dum lestum sternimus, & ad nostem dum cubitum petimus, slectamus genua, & adoremus Jesum in utero Matris, & dicamus: Centies millies laudetur dulcissimum Dei Verbum pro nobis Incarnatum hic & ubique semper. Addamus & quotidie tempore opportuno illas 7. Antiphonas, qua incipiunt sub littera

VI.

ibûs

Vir.

, in

, 6.

inus

Ut

stra

aria

um.

nica-

riz,

no-

dies,

ere-

vin-

Vis

are

CO-

ica,

nus,

enta

en-

ta.

696 XX. Decembris. S. Dominici à Silos.

littera O majore. Simus ò chare! devoti servi Filii, servitutem sideliter appetamus Genitricis. Sic nempe refertur ad Dominum, quod servit ancillæ: sic redundat ad Filium, quod impenditur Matri: sic transit honor in regem, qui desertur in samulatum Reginæ. S. Ildeph.

Festum S. Dominici à Silos ex Ord. S. P. Benedicti.

EXHORTATIUNCULA I.

Pascit hic parvulus oves paternas! subitò exardescere incipit desiderio, & amore magnæ sanctitatis & obtinuit contemptu sæculi. Abundamus missili; vitis: caremus desideriò Christiana sanctitatis? Quæ causa? Nimius mundi amor, & tædium virtutis. Deum inquiramus. Nemo imbecillis est, qui scienter nititur ope divinà. Miramus, nos non operari magna? Credidero; Quia magna non speramus. Nostra considentiæ commensurat Deus insluxum gratiæ. Hâc vià scandemus ad maxima.

XX. Decembris. S. Dominici à Silos. 697

Instructio meritoria.

Igitur tres heroicas statuamus victorias contra appetitum concupiscibilem vel in loco resectionis, vel tempore recreationis reportandos. Ut Deus suam tribuat gratiam, præmittamus duodecim Ave cum illis orationibus ex Cursu Mariano ad Laudes, inchoandô ab Antiph. Sancti Dei omnes intercedere digneminió c. O chare! nostrô vitiô, non Numinis gratiam offerentis parsimonia tot intercidunt bona, quæ præstò possent sieri Dei gratia. Non esurimus Justitiam! ideò hæremus in minimis,

11.

PRopter Justitiam sustinuit exiliums.

Pominicus. Pro Deo, pro Maria, pro virtute, & nostra sanctitate quid nos attentamus? Magna sunt illa omnia. Et vilibus expleri operibus, patitur Christiani, ac religiosi animus? Fili! non quid à nobis sactum, sed quid sieri debuisset, si in censum vocemus, ingens obligationis onus nobis incumbere satebimur, dum plura sactis omissa comperiemus. Heu!

Qua tunc nostra erubescentia!

Gg

In-

evo.

eta-

ir ad

cre-

Ma-

qui

S. II.

ex

nas!

erio, nuit

fili!

anæ

andi

in-

qui

nur,

ero; Aræ

Au-

ma-

In-

698 XX. Decembris. S. Dominici à Silos.

Instructio meritoria.

Non quidem à nobis extraordinaria petuntur, hæc tamen assumere, persectorum, & Deum verè quærentium est, Extraordinaria sunt, quæ desursum accepimus, Dei munera: Et quid extraordinarium hodie, vel in temperantia, vel in modestia, vel in taciturnitate operari non pigeat. Pro quarum virtutum (ò quàm nobilium!) augmento recitemus officium de SSS. Trinitate. Tria nobis desunt! ab Uno Trino petamus!

III.

Alctorum consolarricem semper pro asylo habuit, triplici & ab Illa redimitus corona. O beata sic coronandorum sors! Una harum mille terræ superat coronas. Nec unam devotis filiis præparat cœlorum Regina. Properemus, laudemus, veneremur Mariam, ut comprehendamus.

Instructio meritoria.

Protriplici hac corona trinum hodie ex singulari erga quindecim SS. Mysteria devotione S. Rosarium recitemus.

Non

XXI. Decembris. S. Thomæ Ap. Non deerit præmium, si nos à cultu, & amore Mariæ nullum retraxerit tœdium. Per Mariam enim innocentia reparatur, vita angelica reducitur, Deus homini pacificatur, & unitur, diabolus vincitur, & conteritur, juxta scriptum: lpsa conteret caput tuum. Idiota.

Festum S. Thomæ Indiarum Apostoli.

EXHORTATIUNCULA I.

Isplicuit Christo incredulicas Thomæ. Hinc illa increpatio: Noli esse incredulus; sed sidelis. Fili! terreant nos ista, & ad vivam, ac operosam animos excitent fidem. Sine fide impossibile est placere Deo: Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & quia remunerator bonorum est. Hebr. 11.

Instructio meritoria.

Ne simus de numero corum, qui ad tempus credunt, & in tempore tribulationis recedunt, in honorem duodecim Apostolorum hodie duodecim Pater & Ave cum symbolo S. Athanasii: Qui-6411-

Gg 2

aria

rfe-

est.

ac-

-10

vel rari

(0

nus

bis

af

oro

tus

um

eras

ræ-

lus,

·III

die

fte.

nus.

Von

cunque vult salvus esse &c. recitemus cum repetita sæpius S Marci attestatione: Credo Domine! adjuva incredulitatem meam.

II.

Eari, qui non viderunt, & crediderunt. Fides firma, & viva esse de-Sed non est, si solum secundum carnem, & sensualitatem est. tantum credere, quod manibus palpabile, non credere, sed decipi est. O chare fili! si credimus solum secundum carnem, moriemur. Testor D. Jacobi verba: Sicut enim corpus fine spiritu mortnum est, ita & fides fine operibus in spiritu factis. Non nomen salvat Christiani. sed mensura Nominis. Peccata increduli Christiani graviora funt, quam peccara gentilium, quia atrocius sub sancti nominis professione peccamus. Salvianus.

Instructio meritoria.

Tremenda hæc sunt! studeamus hodie restexè divinæ præsentiæ nobiscum repetendo suspiria Thomæ jam jam pænitentis: Dominus meus, & Deus meus!

Jun

XXI. Decembris. S. Thomæ Ap. Jungamus quoque psalmum: Quam dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c. Non contemplemur, quæ videntur, quia temporalia sunt. Ad invisibilia cum fidei oculis. Hæcæterna sunt. III. L'Ides constans est. Qui perseveraverit I usque in finem, hic salvus erit. Quis autem inconstantior homine sensualitati deditô? tamdiu credit, quamdiu inter corporis solatia, recreationes, & alia car-At his recedentibûs, nis delectamenta. aut ablatis obliviscitur Domini, ac Dei sui. O miseram fidem! non fidem, quia mortua. Instructio meritoria. Nunquam accedamus locum refectionis, recreationis, aut conversationis nisi

Nunquam accedamus locum refectionis, recreationis, aut conversationis nisiaut præmissõs speciali examine, aut coram Sanctissimo reflexà intentione devotissima cum positiva protestatione, non aliter, quam cum, & propter Deum nos resiciendi, resocillandi &c. In consirmationem addamus unam, alteramve cautelam circa gustum, linguam, oculos, & auditum, quam roborabimus septems Gg 3 Pater

nus

ne:

tem

de-

de-

ùm

elle

abi-

ha-

car-

er-

-10

spi-

tia-

in-

iàm

Sub

BUS.

ho.

um

oc-

us!

un.

Pater, & Ave cum uno Credo. Ibi plus requiritur cautelæ, & sollicitudinis, ubi plus imminet periculi. Ne amare videamur, fugiamus.

Vigilia Nascituri Domini nostri Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

Consolamini! consolamini dilecte mi! Hodie scietis, quia veniet Dominus: & manè videbitis gloriam ejus. Constantes estote! Crastina die delebitur iniquitas terræ, & regnabit, super nos Salvator sæculi. O quanta dies! Taceant, & quiescant cogitationes turbidæ! Jesus appropinquat! Fili! ad Jesum properamus. Ut autem videamus Deum de Deo, lumen de lumine.

Instructio meritoria.

Præparemus Domino optatum habitaculum per solitariam, quietam, & sobriam vitam, nos segregando à negotis extrinsecis, & detinendo in solitudine sancta. Repetamus illa septem O Majora cum oratione de Vigilia. Quod pisci est aqua, hoc nobis est vita recollecta. XXIV. Decemb. Vigilia Nativ. D. N. J. C. 703

Hâc quid est præclarius (interrogat S. Augustinus) Quid animæ utilius? Quid spiritui dulcius? Quid in tota nostra religione sublimius?

II.

A Ttendamus zelose fili! stant ante fores Jesus, & Maria. Stant, pulfant, rogitant: Aperi frater! aperi fili! Præbe mihi cor tuum. O quantum scelus! negare Deo, negare Mariæ, quod tam ardenter expetunt. Quam dulce, suisse semper cum Jesu, & Maria! Mortis hora pandet omnia. Væ tunc ignorantibus Jesum, & Mariam. Quis enim consolabitur agonizaturos? Jesus & Maria ria respondebunt: Nescio vos.

Instructio meritoria.

Aperiamus dilecte mi pulsantibus continua hujus diei recollectione, impendamus nos totos lectionibus spiritualibus huic festo magis propriis, adhibeamus & specialem meditationem de Beneficio Redemptionis, & frequenter nos coram Sanctissimo Altaris Venerabili pis suspiris, atque desideriis ad Domini adventum derineamus recitando psal-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

J.C.

plus

nis,

lare

Ari

ecte

00.

jus.

itur

nos

int,

efus

ra-

de

bi-

10.

tiis

ine

Ma-

pi-

cta.

lâc

704 XXIV. Decemb. Vigilia Nativ. D. N. J. C. mum: Benedic anima mea Domino & c. aliúmque actum facri rigoris, vel humilitatis in gratiarum actionem petendo à Ven. Patre spirituali. Chare! Demus Deo aliquod tempus vita nostra, ne diem totum ista vanitas, & sollicitudo miseranda consumat. Chrysol.

O Impietatem mortalium! quot sunt, qui Festivitatem crastinam pietate, amore, devotione, aut compassione humaniter præveniunt? Ah! quoties Jesus! quoties Maria pulsantes, & stantes ad cor hominis audient: Clausa est janua! nescio vos. Ferreum sit pectus, quod non doleat ad tantum impietatis, & nesandæ ingratitudinis scelus.

Instructio meritoria.
Nos de sorte piorum (utut paucorum) simus! Hinc compatiamur pauperibus, imò derelictis Jesu, & Mariæ, & in compensationem omnis ingratitudinis, omnis irreverentiæ, & humanæ impietatis

tria Rosaria cum omnibus Mysteriis slectentes quam devotissime persolvamus. In fine prostrato corpore, & expansis

bra-

XXV. Decembris. Nativitas D. N. J. C. 705 brachiis nostras quoque deprecemur irreverentias, addendo psalmum miserere. Fili! ò quam profunde nos submittere debemus in oculis offensæ Dei Majestatis, coram qua nihil aliud nos esse invenimus, quam nihil, & nihil. Humiliemur, ut nos Deus exaltet in die visitationis.

Nativitas Domini Nostri Jesu Christi.

EXHORTATIUNCULA I.

Verbum, quod hodie Caro factum est. Osi loqueretur, nobisque spiritum insufflaret suæ humilitatis, perfectum rerum mundanarum contemptum, & amorem erga cœlestia ardentissimum! ut obtineamus, transeamus usque Bethleem! Si nunquam detestati sumus pompam sæculi, hodie siat coram Præsepio Domini. Natus enim & datus est nobis nudus, pauper, & inops Parvulus, & hic Dei Unigenitus.

Instructio meritoria.

Visitemus præsepe Domini, sed e a modestia, & gravitate, qua hodie adorarunt

Gg 5 An-

J.C.

oc.

mi-

loà

nus

iem

ise-

int.

ace,

hu-

Je-

ites

100

tus,

itis,

m)

us,

m-

macis

le-

us.

ISIS

ra-

706 XXV. Decemb. Nativitas D. N. J. C.

Angeli. Accedamus: sed hôc propositö, nec oculos ad curiositatem aperiendi frivolam, nec linguam solvendi ad garrulitatem minimam. Consolari debemus Jesum, non offendere, & contristari. Coram præsepio erectis manibûs recitemus 3 3. Pater, & Ave in venerationem totius ætatis Christi. Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, anathema sit, clamat D. Paulus.

II

O Tremor! Hic ipse Divinus Pusio, quem cernimus plorantem in præsepio, jam nunc sungitur offició Judicis. Jesu lacrymæ, Jesu sascia clamant: Va pobis divitibus! va pobis, qui saturati estis. Va pobis, qui nunc ridetis. O fili! talia sectari quam periculosum! quam offensivum nati Redemptoris!

Instructio meritoria.

Abstergamus has lacrymas! Jesum tollamus de præsepio, in corde abscondamus, & absconditum deportemus nobiscum ad mensam & de quoliber cibo aliquam portionem esurienti offeramus. Finitò prandiò revertamur ad præsepe

Domi-

XXV. Decemb. Nativitas. D. N. J. C. 707

Domini, & in honorem omnium membrorum Jesu, quibûs amore nostrûm cormenta gelu, frigoris, & reliquæ passsionis quam patientissimè sustinuit, Rosarium dolorosum persolvamus erectis manibûs. Amor non est, qui nescit compati. Quanto igitur Jesus pro nobis vilior, tanto nobis charior. S. Bern.

III.

Dilecte! propter nos nudos nuditatem induit Jesus Incarnatus, non propter
fortunas, aut naturæ dona ac munera.
Ideò & nos quærit, non illa; & quia nos
quærebat, voluit deseri illa, nudos nos
expectans in cœlis. Quid igitur timemus pauperes sieri, si in corde integrum
portare possumus regnum? Beati autem
pauperes; quoniam regnum Dei intra
vos. Quid paupertate melius? Quid
securius? Quid jucundius? Tristentur
omnes, cuncti gemant, formident universi; hæc semper hilaris perseverat. S.
Laur. Just.

Instructio meritoria.

Pauperes simus in abnegatione cupiditatum nostrarum ad hanc, vel illam

Gg 6 rem

tö,

ri-

Ili-

lus

ri,

ce-

m

at

40

0,

æ-

13.

Te

tti

0

n!

m

110

0-

00

15.

20

i or

708 XXV. Decemb. Nativitas D. N. J. C.

rem habendam, aut ad plus sumendum de cibo, & potu, quam petit naturæ necessitas: aut ad longius confabulandum, & conversandum, quam animæ expedit. Actus ejusmodi abnegationis exerceamus duodecim, & Jesulo inopi in præsepio offeramus cum Lytaniis de Dulcissimo, & superbenedicto Nomine Jesu addita contestatione cordiali: Hoc oro, hoc desidero, ut ab omni proprietate expoliatus, nudus nudum Jesum sequi valeam.

IV.

PRæsepe Domini & Redemptoris Schola est sapientiæ. Fili! intremus, ut illuminemur. Verum quæibi doctrina? audiamus, quid nobis Dei Unigenitus: Beati pauperes! Beati, qui lugent! Beati, qui patiuntur! Beati, qui contemnuntur. En, Divinus Pusio eligit humilitatem, ærumnas, paupertatem. Non sic mundus. Quis ergo decipitur! Aut Christus? Aut sæculum? Chare! nos ipsos inspiciamus: & sententiam dabimus. Sed ubi?

XXVI. Decembris. S. Stephani. 709

Instructio meritoria.

Coram Præsepio. Ibi per horam perseveremus, & cum officio de amantissimo
Corde Jesu in honorem quindecim Mysteriorum tria S. Rosaria addamus.
Oranti, & ad cunas Jesu vigilanti dabitur
manna absconditum, & nomen novum.

Festum Gloriosissimi Protomartyris S. Stephani.

Apides torrentis S. Stephano dulces fuerunt. Cur? Quia gaudens susseprit, ut mereretur accipere coronam gloriæ. O igitur quam verum Pauli distum: Non sunt condignæ passiones husius temporis ad suturam gloriam. Dæmon patientia confunditur. Fortitudo, & laus nostra Dominus. Fili! non interrogemus, quæ patimur? Sed quæ passus est ille: Quanti nos fecit, ex his, quæ pro nobis passus est, attendamus. S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Lapides sancti Stephani nobis non desunt. O utinam non & illius patientia!

Gg 7 Consi-

um

ne-

ım,

dit.

ea-

ese-

Mi-

efu

ex=

qui

oris

re-

ibi

Dei

gui

qui

eli-

em. ur l

105

bi-

In.

consiteamur huic siducialiter nostram infirmitatem, & ut tempore tribulationis nobis potenter assistat, cum hodierna Communione sacramentali unum Rosarium ei offeramus, desiderantes: Lapidari Domine cum S. Stephano, lapidari, & non mori.

II.

nus. Vidit & Fesum stantem à Dextris vir. tutis Dei. Hæc præmia sunt pro Deo decertantium. Si delectent, non attendamus, quid dicant homines, sed quid mereatur Deus, & quid à nobis exigat Christus. Hinc S. Augustini monitum: Hæc quanta sint, cogitate! Hæc in statera cordis vestri appendite, & totus vobis sigatur in corde, qui totus pro vobis sixus suit in Cruce.

Instructio meritoria.

SEd quid exigit Christus? Victoriam de respectu humano, qui toties nobis clauserat cœlum. Igitur in Divinis officiis, exercitis religiosis, & visitationibus Ecclesiæ simus zelosissimi. Claudamus sensus, mortificemus visum, & linguam, & videbimus Jesum stantem à Dextris Dei. Porrò Rhythmum dicamus Angelici Doctoris: Adoro te devote latens Deitas. Non sensibûs, sed spiritu jungimur Deo.

III.

Nter dolores forté obiit S. Stephanus? Neutiquam: sed obdormiit (memorant acta ApostoloXXVI. Decembris. S. Stephani. 711

stolorum: in Domino. Mors piè viventium somno est similior; quia tunc belli finis, & pacisinitium. O fili! an non & nos desideranter ingemiscimus; Moriatur anima mea morte justorum!

Instructio meritoria.

D'Abitur, si vivamus, si laboremus, si & patiamur ut Justi. Igitur pactum faciamus cum
omnibus Sanctis in cœlo triumphantibus, saltem
semel in septimana recitandi Lytanias de Illis, ut
vel hoc sædere nobiscum vivant inter hujus sæculi miserias, & varietates: & tandem à lectulo mortis feliciter, suavitérque deducant ad optatam patriam. Notemus & Divi Augustini Doctrinam: Mori malè times, & malè vivere non times. Corrige malè vivere, time male
mori: Sed noli timere: Non potest malè mori,
qui vixerit bene. Id quod nobis tribuant Superi!

Festum S. Joannis Evangelistæ Discipuli Christo amicissimi.

HIcest discipulus, quem diligebat Jesus. Cur dilexit præ cæteris? Quia Virgo electus à Christo, Virgo in ævum permansit. O Fili! quò plus cordis amaverimus puritatem, & munditiem, eò plus crescimus in amicitia cum Christo. Puritas cor possidentis lætificat, & animæ ad cælestia alas addit; passiones minuit, & animum à turbationibus protegit; justos illuminat, & diabolo offundit tenebras. Beatus, qui sic

nita-

nter

nen-

tes:

, 0

ha-

lir-

er-

uid

&

Ai-

Tac

bis

178

)e-

œ.

S-

n,

X-

CI

n

712 XXVII. Decembris. S. Joannis Evang.

sic permanserit, nec aliud ad cor admiserit, nist solum Dominum Jesum Christum. Hunc eligamus, dilecte! qui, cum omnia fuerint subtrate, solus servabit sidem in die sepultura nostra. S. Bernardus.

Instructio meritoria.

Eligamus in specialem castitatis Patronum S. Joannem Evangelistam, eumque singulis diebûs martis (qui aliàs sacri sunt Consanguinitati Jesu, Mariæ, & Josephi) tribus Pater, & Ave veneremur, addendo v. ora pro nobis S. Joannes Evangelista &c. & collectam ex hodierno festo, quæ incipit: Ecclesiam tuam Domine benignus illustra &c.) Non est terra oblivionis, quam anima Joannis inhabitat, cœlumest. Nunquid cœlestis habitatio animas indurat, aut memorià privat, aut spoliat pietate? S. Bern.

B. Joannes tam graphice expressit Jesum; ut alter fuerit filius Mariæ. Chare! possumus & nos. Possumus in oculis per modestiam, in ore per taciturnitatem, & mansuetudinem, in manibus & corpore per Christianam gravitatem, & prudentiam. Ut fiat, lex jubet amicitiæ cum Christo. Hinc Seneca: Ea est jucundissima amicitia, quam similitudo morum conjunxit.

Instructio meritoria.

Sit ergo hodierna conversatio cum hominibus rara. Cum Christo, cum Maria, & S. Joanne Evang. aliisque cœlitibus sanctis in templo, in pia recollectione esse satagamus; In hunc finem finem post quamlibet refectionem, vel recreationem pergamus ad ecclesiam, novem Pater, & Avelin honorem totius SS. Consanguinitatis Jesus offerendo. Vera amicitia tantum interbonos oritur, inter meliores proficit, inter optimos, & sanctos consummatur. Cassiod.

III.

Sie eum volo manere, donec veniam, ait Christus de Joanne. Ut vel inde disceremus, non satis esse per aliquot dies vivere nos justos, humiles, & castos. Perseverantia coronat opus. Multo melius est, non capisse, quam in bono non perseverasse. S. Aug. currite fratres (clamat Bernardus) tota curia calestis nos expectat. Fiat!

Instructio meritoria.

Progratia finali quam modicum egimus, dilecte fili! satisfaciamus, & imposterum pro
conservatione illius quotidie Lytanias Lauretanas persolvamus; Singulis verò mensibus unam
certam eligamus diem, in qua præmissa S. Confessione sacramentalem Communionem cum
cæteris diei operibus SSS. Trinitati ad stabiliendam nobis agonizantibus finalem gratiam offeramus. Recitemus psalmum: Consitemini Domino; quoniam bonus. Qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Certè modicum seminis incrementum non modica messis multiplicatio est. S. Bern.

Festum

nili

eli-

tra=

710-

um lie-

ita-

Fo-

er-

ni-

io-

ut

ut

us

111

m

n,

n

n

714 XXVIII. Decembris. SS. Innocentum. Festum SS. Innocentium Primorum Martyrum.

EXHORTATIUNCULA I.

H parvuli nondum noverunt Jesum, & jam pro hujus honore pretiosæ cadunt victimæ. O fili! nobisne ignotus Christus? Ah! quanto jam novimus tempore. Novimus ex beneficiis, quæ singulis momentis accipimus innumera: Novimus in anima, & in corpore. Cur ergo tepescimus in ejus obsequio? Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum, es perpetua gratiarum confessio. S. Chrysost.

Nulla igitur dies sinè linea. Nulla dies sine actu heroico. Et ne omittamus, urnulam nobis formemus, cui quotidie immittamus schedulam actu exercitô signatam. O quantum cum diebus, & cum his crescentibus victoriis nostri crescent thesauri in cœlis! Industriam adeò sanctam ut inslamment Sancti in cœlis, de Illis oremus Lytanias majores. Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis, & Sanctis suis: & tunc reddet unicuique secundum opera ejus.

Innocentium Passio fuit Christi exaltatio. O fili, injuste patimur persecutiones? Patiamur gaudentes. Herodes his parvulis non profuisset tantum parcendô, blandiendô, & favendô, quantum profuit eos persequendô. Erramus,

XXVIII. Decemb. Sanctorum Innocentum. 715 midilecte, si cogitamus, nos integros, & non benè contusos perventuros ad cœlum: Cœlorum regnum est regnum detruncatorum, tentatorum, & contemptorum. Quomodo audebimus inter tot decantatos comparere capitaneos, & duces, qui adeò vivimus timidi?

Instructio meritoria.

Sileamus cum infantibus ad omnes vexationes, ad verba pungitiva, & acuminosa, & corde tacitô dicamus: Domine Fesu! tu scis, quòd amemte; quia hec patior tui amore. Dein pro ipsis vexatoribus, ne Deus puniat, subjungamus expansîs brachiis quinque Pater, & Ave cum suspirio S. Stephani: Domine! ne statuas illis hec peccatum: sed dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Nescitnostra religio accipere personas, nec conditiones hominum, sed animas inspicit singulorum. S. Paulinus.

III.

NIhil coinquinatum intrabit in regnum cœlorum. O nos beatos, si parvulorum hodiernorum simplicitatem induerimus, & innocentiam. His virtutibûs rapitur Deus cum cœlo. Simplices diligit Deus, testatur S. Augustinus. Simplices erimus, si nos mundo non implicaverimus. Nam implicandô jam erimus duplices.

Instructio meritoria.

Ne corrupta prævaleat in Christianos politia, & plus vivatur ex fraude, dolo, simulatione, & astutia, quam vera, genuina, & sancta charitate,

m

to

a:

00

716 XXIX. Decembris. S. Thomæ Archiep.

te, offeramus hodie psalmos graduales. Ab hypocrisi, à simulatione, & politia subdola libera
nos Domine! Hypocrita vivunt aliis, & sibimoriuntur. S. Greg. O miseros!

Festum S. Thomæ Angliæ Cancellarii, Archiepiscopi, & Martyris pro Immunitate

Ecclesiæ Constantissimi. EXHORTATIUNCULA I.

Quàm arduum S. Thomas subiit certamen pro Ecclesia! Jacturam bonorum, amicorum proscriptiones, exilia, & quidquid malorum potuit inferri, tulit à rege Henrico. Qua mentis dispositione? Immoto vultu, & animò invictò. O sili! qui fuimus hoc anno impatientia, & fortitudine Christiana? O si æquales S. Thomæ! quanta jam nostra foret merces in cœlis! Sæpe quæ inter damna censemus, ut plurimum lucra nostra sunt. Opes, honores, æstimationem hominum nobis ausert Deus, utibi quæramus, & quærendò inveniamus, ubi felix perpetuitas. Felix jactura, & damnum, quod tam salutaris doctrinæ sit magisterium. Deserant illa nos potiùs, quàm ut Deum deseramus.

O quam modica nobis de Deo spes! satisfaciamus, & propter multivarias pusillanimitates impatientias, murmura, & inordinatas tristitias persolvamus vesperas ex officio defunctorum cum uno peculiari Rosario pro animabus, quæ & propter paria vitia gravissime luunt inter purgatorii XXIX. Decembris. S. Thomæ Archiep. 717 tormenta. Descendamus ad inferos! docebimur, plus perpeti mundi mala, quam favoribus ac laudibus hominum extolli.

Puerulum adhuc Mater Divina Maria invisit, & in tesseram sui amoris casulam donavit purpurei coloris. Honorat Maria devotos sibi amicos. Hæc munera si nobis desint, sili! causa in promptu est. Vacui sumus Mariæ reverentia, & amore. Mater est pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & san etæ spei. In Maria gratia omnis vitæ, & veritatis; in Maria omnis spes vitæ, & virtutis. Regina cælorum est, misericors est, Mater Unigeniti Dei est. Et ab homine despicitur, inhonoratur?

Fili! non emendabimus pro anno sequenti?

Instructio meritoria.

Non annum expectemus novum! Sit hodie amori initium! Ergo, quæ vacua sunt, impleamus, præsertim à manè ad signum salutationis Angelicæ sine mora surgendô, hácque prima diei, & nostrûm victoria Mariam venerandô. Salutationi subjungamus quing, Ave cum Magniscat. O felix! ò sanctum! ò jucundum diei initium, quod cæptum à nomine Mariæ. Hoc resicit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, recreat debiles, ungit agonistas, pellit damones. Idiota.

MAria S. Thomam docuit modum sua tum in terris, tum in cœlis concepta venerandi gaudia. Sic nunquam non in bono Magistra est

IV-

20-

11,

312

)-

ô

718 XXXI. Decembr. S. Sylveftri Papæ.

est colitum Regina, dulcis Virgo Maria. In dissicultatibus ad Eam recurramus! Audiet vota! Approbabit desideria! Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

Instructio meritoria.

Quia Maria sic ordinavit, & sua gaudia mundo manisestavit, in venerationem septem gaudiorum, quibus in terra suit persusa; item & illorum septem, quibus jam gloriosa lætatur in cœlis, totidem Pater & Ave cum septemplici Magnisicat oremus. Recedant tristia, ubi recoluntur Mariæ gaudia! Ad hæc ridet cælum, terra lætatur Angeli congandent, damones contremiscunt. Idiota

Dies ultima Anni sacra S. Sylvestro Papæ, & Thavmaturgo Clementissimo.

EXHORTATIUNCULA I.

Fili! quod Paulus, quod & sibi in lectulo mortis dixit S. Sylvester, nimirum: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, sidem servavi. An idem & nobis hâc ultimâ anni die repetere licet? Licet, si vita non reclamet. Quæ enim consolatio nostra, si nos damnet propria conscientia? Huic dum anno sequenti invigilabimus selliciti, recordemur, nos laboraturos Deo: & jam labor non erit gravis. Ubi enim amor est magnus, ibi omnis labor est modicus. Possumus laborem alleviare, sugere omnem non possumus.

Instructio meritoria.

Reformemus jam corpus humilitatis nostræ,

XXXI. Decembris. S. Sylvestri Papæ. 719

& ad magna opera pro Deo, & bona conscientia fortiter in dies instantis anni statuenda præparemus. Sed ab humilitate principium. In sacro tribunali, quod vel hodie ex singulari devotione frequentandum, nos accusemus de omni abusu temporis nobilissimi: de abusu talentorum, aliorumque tum naturæ, tum gratiæ donorum, & in satisfactionem omnes psalmos pænitentiales recitemus. Hi quid pro tantis negligentiis?

TRansiit denuò de vita nostra annus: sed cui? & quomodo? Ah! si vel hâc horâ serio deperdita deploraremus tempora, quæ nobis ad pœnitendum, & Deum possidendum concessa sunt! At qui vivemus imposterum? Sanstius, & serventius vivendo priora redimamus tempora! Fiat! Nam S. Paulus rogat: Videre itaga fratres! quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus. ad Ephesios s.

Instructio meritoria.

Coram Crucifixo, vel sanctissimo Venerabili deprecemur prostrato corpore transacta malè tempora, & denique subjungamus Lytanias ad omnes Sanctos, quos hoc anno nostra offendimus socordia. Humilis confessio est novarum gratiarum impetratio.

OUid omisit bonorum Deus, quæ nobis hoc potuit præstare annô, & non præstirit? Nos

In vo-

rit

0.

unidi-

10-

œ-

lain

tur

47

ta

10

00

1-

3

720 XXXI Decembris. S. Sylvestri Papæ.

Nos verò quid non omisimus? Quanta in Dei servitio negleximus? Abyssus abyssum invocat, si seriò perpendamus. Verum, ò chare fili! considamus! animos reassumamus! Dedit Deus nova tempora! Hæc Deo, & saluti duntaxat impendamus. Sit tota imposterum diei cura, pati mala, & agere bona. An non recordamur, quid nobis Petrus Chrysologus: Dedimus corpori annum, demus anima dies. Vivamus parlulum Deo, qui toti viximus saculo!

Instructio meritoria.

Certum nobis conscribamus ordinem vita futuris annis continuandum. Ad benedicendum exhibeatur Venerabili Patri spirituali. Pretium providæ adeò industriæ pandet experientia. Cæterum ut diem quondam ultimum feliciter, fuavitérque claudere mereamur, ex reflexo gratitudinis affectu (quantum commode fieri potest) tria cum suis Mysteriis SS. Rosaria SSS. Trinicati offeramus, & annum cum Te Deum finiamus pro tesfera revolventes verba Magnilidiarum Apostoli: Non quiescendi hic locus est, sed eundi. Viatores nos voluit Deus, qui aternitati per momenta propinguamus. Par in hoc omnium, qui nati sunt, conditio; illa dispar: quod ad infelicem isti, beatam alii properent regionem. Sic anno noviter instanti curramus, ut comprehendamus, & jubilantes dicamus:

In omnibus glorificetur Deus, & in Deo Magnus Pater Benedictus.

ADAUC-